

suus, quadriformem agonem in cyclo Phenonis, Pegaseam sessionem in circulo solis Gorgoneamque parthenen in intentione virtutis usque ad bravium salutis perpetuae, et gloriam felicitatis aeternae.

O vir desideriorum sanctorum Christoque amabilis, qui non sine multo detrimento luebas animam meam, quæso te talem michi exhibere digneris iuxta energian, qualem verbis inedibili nectare plenis ex ingenti es caritate pollicitus. Etenim ex parte etiam hoc novi, quod iuste innumeris calamitatibus totus premitur orbis, cum pariliter innumeris cavillationibus deditus sit minor materie mundus, unde et iusto iudicio Dei etiam gentilis poeta humano* rubori, si tamen ita intellegeres, f. 21. succenset, 'Nusquam', inquit¹, 'tuta fides'. Et comicus² quasi quodam flagello corripere, si audientes inveniret, dicens, ut bene nostis, 'Hic dies aliam vitam affert, alios mores postulat'. Ergo isto ductus forte tandem auxiliante Deo inveni, in quo fidenter quaerere quod utiliter expedit, possimque reperire quod salubriter conducit. Est autem totum hoc 'fides, quae per dilectionem operatur'³. Estote igitur ductor, cultor et custos totius hominis mei, ne forte utens, quod absit, pessimo praeceptore me ipso exorbitem a tramite salutis et via veritatis. Scio namque huiusce dictum aequa lance perpensum⁴:

'Metiri se quemque decet propiisque iuvare

Laudibus, alterius nec bona ferre sibi'.

Revera siquidem potero dicere, quamdiu vixero, sicut quidam: 'Postquam vos novi, multum vos semper amavi', et ex me quidem circa vos hoc solum: quod enim amplius faciam non habeo. Ex vestra vero munificentissima benignitate erga me erit plurimum boni, si vestrae id sederit piissimae mansuetudini, ut sum omnino credulus. Adposuit itaque omnipotens Deus sua solita clementia michi virgam debitaë correctionis et necessariae correctionis, cum vos michi proposuit et exterioris hominis exemplar atque interioris praefixo exemplo sidereum iubar. Ideoque, ut ipse experior, vix me ipsum potero cohibere, quin absentiam vestram amarissimis prosequar threnis, licet intelligibilis topos et qui recte perpensus solus est topos, minime patiatur absentiam, cum totus mundus exilio sit vere philosophantibus. Verum quia humanitas sibi respondet, si aequatur in hominibus pondus amoris, difficile tolerat eius absentiam sine ictu doloris. *Ut enim quadratur numerus numero f. 21'. et mensura mensurae, ita et pondus ponderi. Non autem effugit sensibilem speciem qualitas et quantitas, licet intelligibiliter vigere

1) Verg. Aen. IV, 373. 2) Ter. Andr. II, 189: 'Nunc hic dies aliam vitam defert, alios mores postulat'. 3) Gal. 5, 6 'fides quae per caritatem operatur'. 4) Aviani fabulae V, 1—2 (Poetae lat. min. ed. Baehrens V, 38).